

Obidem se pro exercitu Christianorum captivo liberando spondet.

fianorum, sicut superius est expressum, liberatione tractatus habitus, & conventionum subsecuta ordinatio extitissent, Saraceni pro quadam parte pretii redemptionis hujusmodi, quae solvenda restabat, securitatem plenariam habere intendentes, in electionem ipsius Regis totaliter posterunt; ut vel ipse liberaretur a carcere, remanentibus ceteris Christianis in vinculis, donec hujusmodi solutio perfecta succederet, vel quod idem in carcere remaneret, Christianis ipsis omnimode liberatis, praefatus Rex super hoc promptum nec dilatum responsum praebuit, quod ipse, quousque solutionis hujusmodi proveniret integritas, remanere in carcere intendebat, Christianis ejusdem libertati pristinae restitutis, quamquam praefati Alphonsus & Carolus, ac alii viri nobiles tunc astantes expresse dicerent, & profiterentur apertius, quod in hoc nullatenus consentirent, supplicii adiacentes instantia, quod potius Rex ipse recederet aliis minime absolutis, Rege ipso firmissime replicante contrarium, nec assentiente sermonibus eorumdem. Et tandem Rege ceterisque captivis eisdem plene redditus libertati, distoquoque Alphonso pro ejusdem solutionis perfectione obfide faciendi dimisso, praefatus Rex de galea, in qua erat, egredi noluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, distoquoque Alphonsus ad ejus praesentiam rediit, ac omnes etiam Christiani, quos in propinquo carcere detinebat inclusos, quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati a vinculis, ac illi etiam, qui tunc in Damia similiter tenebantur, fuerunt in navibus collocati.

Agarenos quos plurimos convertit ad Christum.

§. 11. Demum praefatus Rex cum eodem liberatus exercitu, ad Civitatem rediens Aconen., moramque inibi fere per quinquennium contrahens, & tamquam fervidus humanae salutis amator, multorum Agarenorum mentes duras quantumlibet, non solum salubribus eloquiis suadens, sed etiam exemplo vitae laudabili convertit ad Dominum, ipsos faciens ad laudem divini nominis, & exaltationem Catholicae fidei honorifice baptizari, eos donis prosequendo largifluis, & gratiosis favoribus confovendo.

In Christianos liberalis.

§. 12. Multosque milites & alios Christianos redimi faciens, eis de munificentia regia tam vestes, quam cetera necessaria victu, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat.

§. 13. Muros quoque seu menia Civitatum & Castrorum quamplurium, quae in illius partibus a fidelibus tenebantur, fecit reparari solemniter, eaque alias muniri plenarie, prout necessitas suadebat.

In Franciam reverens multa pietatis opera exerceo.

§. 14. Verum praedictus Rex processu temporis, intellecto quod matrem ejus mors amara subtraxerat, & eidem Regno grave periculum immineret, de Procerum suorum consilio, ad partes Franciae remeavit, nunc sanctitatis insitens operibus, nunc Monasteria & Hospitalia pauperum, nunc domos alias divinis obsequiis dedicandas, (quae longum esset enarrare per singula) construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis, nunc etiam infirmos ac debiles in diversis Mo-

nasteriis & Xenodochiis decumbentes, personaliter visitans, ipsos verbis consolatoris confovebat, eis manibus propriis, flexo genu, potum, & cibaria ministrando.

Leproso ministrat suis manibus alimentum.

§. 15. Cumque in Monasterio Regali Montis Belvacensis Dioecesis, quod idem Rex opere plurimum sumptuoso construxit, ac dotibus decoravit eximii, Monachus quidam Leodegarius nomine moraretur, quem adeo lepra morbus invaserat, quod abominabilis factus & despectus quamplurimum, manebat segregatus ab aliis, in quadam camera positus Monasterii memorati, ejusque oculi ob gravis infirmatis pondus seu malitiam jam consumpti, nihil omnino videbant, eorum foraminibus sive locis, rubeis & horridis jam effectis, quique nasum perdidit, ejus tumefactis non modicum labiis, & profunda fixura destructis ac idem Rex cum, praesente dumtaxat Abbate Monasterii supradicti, personaliter visitaret, ipsumque sumentem cibum, ut poterat, invenisset, praefatus Rex praemisso benigne salutationis alloquio, flexit genua coram ipso & scindens manibus propriis carnes eidem appositas, bolos in os ejus studiosissime immittebat, & hujusmodi non contentus obsequio, illatis dapibus ejus iussione regalibus, de ipsis eidem Monaco ministrabat, loci autem aegri qualitatem horribilem non evitans, eodem Abbate vehementi stupore confusus, quod tanti sublimitatis Principis, talibus quantumcumque salubribus involui studiis ac servitiis poterit occupari.

Hospitalium infra se servit.

§. 16. Praeterea cum dictus Rex hospitale Compendien. ingressus, ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus, & jam fessus non modicum in labore, infirmum quemdam juxta se positum conspexisset, morbum, qui S. Eligii dicitur, patientem, & flexis genibus coram ipso, morsellum piri remoto cortice poneret in os ejus, sanies de illius naribus affluens, foedavit turpiter manus Regis, qui pie benigneque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illico manibus, salubre quod inchoaverat obsequium, diligenter extitit persecutus.

Pauperibus elemosinas.

§. 17. Hic revera circa servos CHRISTI ac pauperes, aliasque miserabiles ac devotas personas valde compatiens, se ipsis in elemosynarum largitate munificum exhibebat. Virginibus insuper, quibus inopia effectum maritalis copulae denegabat, ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis providebat, illud de bonis regalibus laudabiliter, & salubriter expensum reputans, quod in elemosynas, & alios pios usus converti pro tempore noscebat.

Virginibus dotes largitur.

§. 18. Hic praedicationibus, & aliis propositionibus verbi Dei attentum accomodabat auditum, non auditor obliviosus factus, sed factor operis. Occurrebat haereticae pravitatis infectos, ne fidei Christianae cultores labe hujus contagionis inficerent, de Regni praedicti finibus efficacibus studiis expellendo, ac alias circa statum ejus providendo sollicito, ut ab ipso fomentis talibus prorsus exclusis, in eo fidei praedictae sinceritas rutilaret.

In Haereticos severus.

§. 19. Cum vero aliquibus partibus disti-

Re-

Egestatis egere pauperibus consulit.

Humilis in vestibus.

Cilicis & jejuniis carum domat.

Ligneo contentus lecto.

Hosius monachii.

Pius in sermionibus.

Tuneti animi Deo redit.

Regni ob sterilitatem seu malitiam temporis, victualium caristia imminerebat, statim de ipsa rumoribus intellectis, certam illuc summam pecuniae, prout ipsatum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuncium inter pauperes dividendam.

§. 20. Hic profecto humilitate sublimis, sublimitate humilis, in apparatu & vestibus, quas frequenter pauperibus erogabat, post primum potissimum de ultramarinis partibus reditum, summae humilitatis insignia demonstravit. Non enim aureis vel argenteis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis, sed aliis humilibus pellibus usus fuit, secularibus pompis a se penitus abdicatis.

§. 21. Et ne fervorem spiritus, sociae carnis ardor extingueret, sed mortificatione & repressione ipsius illum potius accendi contingeret, altiusque subfolli, & carnem ipsam, quam asidui asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, efracta ipsius libitum, arcta abstinentiae frano coercuit, ejusque nexibus alligavit, ut non voti proprii ducta libidine, non sui desiderii directa remigio, sed salubri moderamine spiritus, tute ad licita pergeret, provide ab illicitis abstinere: districtis enim corpus atterebat jejuniis, priscorum observantiae a Sanctis Patribus ordinatae, novorum austeritatem addiciens sibi motu propria voluntatis indicatam. Nam per totum quadragesimale tempus, & quadraginta dies festum Natalis Domini praecedentes, ac omnium festivitatum vigiliis, necnon & quatuor tempora, quae Catholica indicit Ecclesia, in jejuniis & orationibus exercebat, delictis & curiosis cibariis usui proprio penitus interdixit. In festivitatibus vero Virginis gloriose, ac Natalis Domini memorati vigiliis, & sexta Feria majoris hebdomadae, jejunium observabat, panis & aquae dumtaxat modica sustentatione contentus. Qualibet etiam die Veneris Quadragesimae supradictae, ac totius Adventus, ab esu piscium abstinere, multis praeterea se vigiliis occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret.

§. 22. Post eius reditum supradictum non in pluma vel paleis iacuit, sed super ligneum lectum portatilem, materacio simplici superjecto stramine nullo supposito, decumbebat.

§. 23. Hic insuper vitae puritate praecidus, sincerus veritatis amicus extitit, hosiusque durissimus falsitatis.

§. 24. Cuncta quoque ipsius eloquia salutis augmentum, operaque salubria hortabantur, demulcebant auditorum praecordia, & in eorum aedificationem multiplicem redundabant.

§. 25. Cumque ad incrementa Catholicae fidei, & liberationem celerem Terrae Sanctae votis ardentibus anhelaret, in ipsius Terrae Sanctae subsidium assumpsit denuo signum Crucis, & denuo potenti & valido congregato navigio, copiosa & strenua comitiva sussultus, cum praefato Pictavi Comite, suisque liberis & clar. mem. Regina Navarre, ipsius Regis filia, quae in reditu debitum naturae persolvit, ad partes se transiit transmarinas, praefato Carolo, qui tunc moram in Italia partibus contrahebat, Regis memorati vestigia subsequens. Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

quente, ac tandem ad partes Tuniti foelici gressu perveniens, inibi de magnatum suorum consilio castra fixit, & adversus Saracenorum incursum exercens potentiae suae vires gravissimas, ob labores innumeros, quibus premebatur assidue, infirmitates incurrit, qui diebus elapsis aliquibus infirmitatum ipsarum violentia superatus, Sacramenta Ecclesiastica cum summa devotione recepit, ac instante sibi verisimiliter hora mortis, oratione pro exercitu Christiano praemissa, suam Domino devotis precibus animam recommendans, ac literaliter exprimens verba sequentia videlicet, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, foeliciter migravit ad Christum, supernis deliciis fruatur.

Multa per eum Deus operatur miracula.

§. 26. Verum cum vitae hujusmodi sanctus curriculo, verius viveret quam vixisset, noluit Altissimi Filium, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam devoti Principis, tantique propugnatoris fidei orthodoxae, Mundo supprimi sanctitatem, quemadmodum meritum pluralitate praefulerat, sic miraculorum diversitate claresceret, & qui eum plenissima devotione coluerat, jam secum in coelesti Palatio collocatus, venerabiliter coleretur. Nam contractis, arctum extensione subvenit, curvis terram fere tangentibus facie plene restituit, eorum sursum erectis vultibus, fanitatem; strumosis beneficium liberationis impendit.

Mulieris brachium aridum.

§. 27. Mulierem quamdam, cujus brachium aridum & omnino impotens exercebat, ab infirmitate hujusmodi liberavit.

Aliudque peccatum emoriturum vivificat.

§. 28. Quidam quoque, cujus velut emortuum pendebat brachium, per eisdem Sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit.

Paralyticos sanat.

§. 29. Quampluribus paralytico morbo percussis, & aliis qui diversis languoribus tenebantur, plena reddita sospirate.

Cecis illuminat &c.

§. 30. Caecisque visu; furdis auditu; claudis gressu; illius invocato nomine restituit.

§. 31. His & quampluribus aliis, Sanctus ipse coruscavit miraculis gloriois, quorum seriem praesentibus non duximus inferendam.

§. 32. Gaudeat itaque domus inclita Franciae, quae talem ac tantum Principem genuit, per cujus merita sublimiter illustratur, latetur devotissimus Franciae Populus, quod tam electum, tam virtuosum Dominum meruit obtinere. Extulit Praelatorum & Cleri praecordia, quod praefatum Regnum tam claris miraculorum ipsius Regis insigniis propensius decoratur. Jucundentur & procerum, magnatum, nobilium, & militum pectora, quod per sanctissimam opera dicti Regis ejusdem Regni status donis multiplici prerogativa subfolliat, & quasi solis radius elucescit.

SS. Confessorum Albi ad scribitur.

§. 33. Ceterum quia, quos superni Regis clementia corona gloriae in caelo magnificat, devote a fidelibus in hac terrestri patria convenit venerari; Nos de sanctitate vitae, ac miraculorum veritate ipsius Beatissimi Ludovici curiose ac solemnis inquisitionis diligentia, & districti examinis discussione praemissis, plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi Fratrum nostrorum, & Praelatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium, M 2

tium, consilio & assensu, die Dominico III. Idus Augusti Sanctorum Cathologo duximus adscribendum.

Ejus festus dies celebrandus.

§. 34. Ideoque Universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus in crastinum B. Bartholomaei Apostoli, cum felix ipsius anima, tunc de carnis eruta vinculis, astra petens caelestem aulam adiverit, aeternis gaudiis potitura, Festum ipsius Sancti devote & solemniter venerari, colereque studeatis, ut ejus interventibus precibus, & hic ab imminentibus possitis liberari periculis, & in futuro salutis perpetuae premium obtinere.

Indulgentia ejus Sepulchrum inviolentibus proposita.

§. 35. Ut autem ad venerabile sepulchrum ipsius ferventius & copiosius Fidelium confluat multitudo, ac celebrius ejusdem solemnitas peragatur, omnibus vere poenitentibus & confessis, qui reverenter illuc in eodem festo annuatim accesserint, ejus suffragia peturi, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad praedictum Sepulchrum, infra ejusdem festi Octavas, quadraginta dies de injunctis sibi poenitentibus misericorditer relaxamus.

Dat. die 11. Augusti 1297. P. An. III.

Datum apud Urbem Veterem, III. Idus Aug. Pont. nostri Anno III.

XIII.

Ex Regest. Archiep. Paris.

Confirmatis Conciliorum Decretis, & Nicolai IV. Constitutione contra Arma, victualia &c. ad Saracenorum partes deferentes, Inquisitoribus haereticae pravitate facultas datur contra delinquentes procedendi.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Saracenis arma vel quid hujus generis ferentes, vendentes excommunicati & Canonibus.

§. 1. FUIT olim tam in generali, quam in Lugdunensi, postmodum subsecuto Concilio, per Sedem Apostolicam celebratis, in illos falsos & impios Christianos, qui contra Deum, & Christianum Populum Saracenis ferrum & arma, quibus Christianos impugnant, & Lignamina Galearum, & aliorum vasorum navigabilium deferrent; & in eos etiam, qui eis Galeas venderent, aut Naves; quique in Piraticis Saracenorum Navibus curam gubernationis exercerent; vel in machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis in Christianorum, & maxime Terrae Sanctae dispendium impenderent auxilium, vel consilium, excommunicationis sententia promulgata; ipsosque rerum suarum privatione multari; & servos capientium fore, censent Concilia supradicta: expresse quoque in ipsis praecipitur, ut talibus gremium non aperiretur Ecclesiae, nisi totum, quod de commercio tam damnato perciperent, & tantundem de suo in subsidium Terrae memoratae transmitterent; ut equo iudicio, in quo delinquerent, punirentur.

§. 2. Felicis insuper recordationis Nicolaus Papa Quartus Praedecessor noster, gerens cordi negotium dictae Terrae, duxit hactenus au-

Nicolaus IV. similes poenas infligit in eadem differentes in Alexandriam vel Egyptum.

thoritate Apostolica statuendum, ut nullus arma, aequos, ferrum, lignamina, victualia, & alia quaecumque mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum Terrae Egypti deferre, vel mittere; seu de Portibus suis, ut eisdem deferrentur, extrahere, vel extrahi permittere, aut eis alias auxilium vel favorem praestare quoquomodo praesumerent: ac illos, qui contra hujusmodi Constitutionem ipsius, ausu temerario venire tentarent, eo ipso excommunicationis sententia subjacere decrevit, a qua non possent absolvi, nisi tantum de bonis propriis in dicta Terra subsidium convertendum exolverent, quantum ad partes praedictas deferrent, vel mitterent, aut deferri, vel de ipsorum Portibus extrahi permetterent deferendum: & si personas eorum capi contingeret, illas in servitutem & captivam illorum esse voluit, in quorum caderent captivum.

Aliaque poenas inflavit contra illos victualia deferentes, usque ad decennium.

§. 3. Postmodum etiam Praedecessor ipse nihilominus statuit, ut nullus omnino aliqua victualia usque ad decennium, a data literarum Praedecessoris ejusdem computandum, alia vero praedicta, vel aliquod, seu aliqua de eisdem, aut aliud quolibet, victualibus sicut praemittitur, usque ad praedictum tempus dumtaxat exceptis, quacumque occasione vel causa, seu quovis ingenio vel colore quaesito, ullo unquam tempore in Alexandriam, vel ad partes Egypti mittere, vel deferre praesumeret; vel, quantum in eo foret, mitti vel deferri permetteret; auctoritate Apostolica decernendo, ut ii, qui contra hujusmodi statutum ejus venire praesumerent, praeter poenas praedictas, quas illos ipso facto incurrere voluit, perpetuo esse infames, & intestabiles haberentur; ita quod, nec testari neque legata eis, seu relicta percipere possent: & insuper ad successiones tam ex Testamento, quam ab intestato, forent prorsus, & redderentur inabiles: nec ad publica quolibet admitterentur officia; essentque illis omnes actus legitimi penitus interdicti; & tanquam excommunicati hostes Catholicae Fidei, postquam de ipsorum hujusmodi temeritate constaret, diebus Dominicis & festivis publice nunciarentur: & in Fiscum bona omnia devolverentur eorum, pro ut haec omnia in ipsis Praedecessoris Literis, quae in ejusdem conservantur Archivio Ecclesiae, plenius continentur.

Bonifacii Ad-ditionem pro recuperatione Terrae Sanctae.

§. 4. Nos vero postmodum, disponente Domino, ad summi Apostolatus Officium, licet insufficientibus meritis, evocati, volentes providere tanto solertius in hac parte, quanto magis dictae Terrae perurgens necessitas hoc exigere noscebatur, ratificando, confirmando, & innovando praedicta, nonnulla circa haec per nostros Processus & litteras addenda duximus, & etiam statuenda.

Nicolaus Decretum firmavit.

§. 5. Nunc autem quae ab eodem Praedecessore, ac a Nobis in hac parte facta noscuntur, rata habentes & grata, ea omnia auctoritate Apostolica ratificamus, approbamus & innovamus, & praesentis scripti patrocinio communimus: ipsaque praecipimus inconcussa servari. Et nihilominus ad obvian-dum super hoc notius & efficacius praedictis imminentibus dictae Terrae, tempus supradicti de-

Tempus prorogae ad aliud decennium.

cennii, ab eodem Praedecessore statutum, usque ad aliud decennium prorogamus: ita quod districte praecipimus ne, aliquis victualia aliqua in Alexandriam, vel ad partes Egypti mittat, vel deferat, vel quantum in eo est, deferri vel mitti permittat: & eos, qui secus fecerint, decernimus supradictas sententias & poenas incurrere ipso facto: & de novo monemus Venerabiles Fratres nostros, Archiepiscopos, Episcopos, necnon Duces, Potestates, Capitaneos, Rectores, Consiliarios, Communitates, Universitates, & Populos omnium & singularum Civitatum Maritimarum, constitutarum ubilibet, ipsis universis & singulis districtius injungentes, ut iidem Archiepiscopi, & Episcopi ea omnia in Civitatibus eorum, & in locis insignibus suarum Dioecesium coram Populo publicent, & faciant per alios solemniter publicari, jubentes & facientes ipsa a Ducibus, Potestatibus, Capitaneis, Rectoribus, Communitatibus, Universitatibus, & personis singularibus Provinciarum, Civitatum & locorum auctoritate nostra inviolabiliter observare: Duces vero, Potestates, Capitanei, Rectores, Consilia, Communitates, & Universitates omnia praedicta in Cartulariis, & Capitularibus Civitatum, vel Communitatum suarum conscribi faciant: ipsaque observent firmiter, & faciant a suis Subditis inviolabiliter observari.

Et haec populi explicari praecipit.

§. 6. Et ad subtrahendum lucra, redditus, & proventus, quibus Babilonicus Hostis infamius fortior redditur ad impugnationem Fidelium, & detinentium Terram Sanctam, & alia Christianorum Loca, quae nequiter occupavit, firmiter statuit, certis gravibusque poenis appositis, ut nullus omnino suarum Civitatum, eorumque Territorii, seu Districtus, ad Terras Soldano subiectas accedat, Mercationes aliquas ferri, Armorum, Lignaminum, & aliarum rerum quarumlibet deferat, sive mittat, sibi que vel suis praestet auxilium, vel favorem; Eos, qui secus attentare praesumpserint, per exactiones poenarum adhibitarum efficaciter puniendo; Non moleste, sed cum patientia portaturi, quod praesumptores hujusmodi tam per Ecclesiam, quam per aliorum Galeas, aliaque Vasa Fidelium, juxta ordinationem, seu dispositionem Apostolicae Sedis impune ac libere perturbentur offensus, ac a talibus compescantur, ut per aucta punitionis remedium reprimatur facilis temeritas eorumdem. Districtius insuper inhibemus Universis, & Singulis Christianis Fidelibus, ubique Locorum constitutis, cujuscumque dignitatis, praeminentiae, conditionis, aut status existant, ut nullus omnino contra praemissa, vel eorum aliquod, quomodolibet scienter attentare praesumat, & qui secus egerit, praemissis poenis, sententiis, conditionibus, & praecipis juxta constitutionem eandem sit eo ipso ligatus.

Inquisitoribus haereticae pravitate procedendi contra inobedientes data facultas.

§. 7. Sed nihilominus, quia non prodest jura condere, statuta edere, ac emanare praecpta, si eadem non servantes poena debita non multarentur, firmiter statuimus, & volumus, ut Inquisitores haereticae pravitate, qui per Romanam Ecclesiam, vel auctoritate ipsius, sunt vel fuerint deputati, & eorum

quolibet, eo ipso, quod eis commissum est, vel committi contigerit, contra pravitatem eandem Inquisitionis officium, auctoritatem, jurisdictionem, potestatem, & officii commissionem iteratam, & plenam habeant; ac omnimoda sit eis attributa potestas in Provinciis, ad quas fuerint deputati, inquirendi super iis; & quos in praedictis invenerint deliquisse, declarandi, & denunciandi, praedictas poenas, & sententias incurrisse. Illis etiam ex eis, quibus Processus nostri poenam aliquam non imponunt, poenas spirituales, & temporales, de quibus eis videbitur, imponendi, & praecipendi, quae per Nos eis injuncta noscuntur, firmiter observari: Procedendi quoque contra eorum singulos, ac Terras, & Loca ipsorum, & poenas praedictas, & quae imponuntur, ab eis exigendi, ac hujusmodi poenas & sententias executioni mandandi, & praecipendi exigi, & executioni mandari, & invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis: Contradictores quoque cujuscumque status, praeminentiae, dignitatis, & conditionis extiterint, per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendi.

Obstantium derogatio.

§. 8. Non obstante si eis, vel alicui, seu aliquibus eorumdem ab eadem sit Sede indulgentum, vel contigerit indulgeri, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, vel eorum auctoritate, quae de Indulto hujusmodi, ac de personarum, & Locorum nominibus plenam, determinatam, & expressam non fecerint mentionem.

Validatio singularum Aduva.

§. 9. Decernimus insuper, ut Mandata, & Processus, quae iidem Inquisitores, ac eorum quilibet in hac parte fecerint: poenas, quas imposuerint, ac sententias, quas protulerint, plenum vigorem habeant, & obtineant perpetui roboris firmitatem, ac si in casu quolibet plena eis, & cuilibet eorum esset specialis commissa potestas, & jurisdictio procedendi: eorumque jurisdictio in praedictis omnibus, & singulis per citationem, vel modum alium perpetua legitimum extiterit.

Inquisitores super his nullam transactionem facere possunt Sede Apostolica consultata.

§. 10. Nolumus autem, quod Inquisitores praedicti, vel eorum aliquis de hujusmodi poenis, sententiis, & processibus, vel eorum aliquibus ullam remissionem, absolutionem, vel relaxationem, seu transactionem faciant absque speciali mandato dictae Sedis, faciendo per ejusdem Sedis Literas, quae plenam, & expressam de iis faciant mentionem, & quod secus fieret, irritum decernimus, & inane.

Publicatio hujusce Constitutionis.

§. 11. Ut autem hujusmodi noster Processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, sive membranas, processum continentem eundem, in Basilica Lateranensis appendi, vel affigi Ostiti, seu Superliminariibus faciemus, quae Processum ipsum suo quasi sonoro praconio, & patulo indicio publicabunt: Ita quod ii, quos Processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem praetendere, quod ad eos talis Processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem: cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Laterani in die Coena Domini, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Dit. anno Don. 1299. P. An. V. Amo.

XIV.

Ex Regest. in Archiv. Vat.

Amotis Canonice Regularibus Ordinis Sancti Augustini ab Ecclesia Lateranen. secularis Canonici subrogantur.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei Ad Perpetuam Rei memoriam.

Præmium.

Romana Ecclesia, quæ super Universas Ecclesias obtinet divina institutione Primatum, circa singulas maternas diligentia cura sedulo vigilans, earum profectibus velut sollicita mater ardentem intendit, studens ea penitus submovere, per quæ ipsæ Ecclesie substinere possent circa spiritualia seu etiam temporalia nocumenta; & illa efficaciter agere, quorum suffragio eis in utriusque augmentum Deo propitio valeat provenire.

Sane intervarias & innumeras sollicitudines, quæ Nobis ex Officio Apostolatus incumbunt, ad Patriarchalem Lateranensem Ecclesiam, quam inter ceteras Urbis & Orbis Ecclesias velut Caput ipsarum antiquitatis, Dignitatis, ac Nobilitatis prærogativa fulgentem, utpote a claræ memoriæ Constantino Imperatore Romano eximia devotione constructam & a Beato Silvestro Romano antistite, ante aliam ejusdem Urbis Ecclesiam dedicatam, dilectionis & devotionis affectu prosequimur speciali: Præsertim ob reverentiam Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi, & Beati Joannis, quorum est ipsa Ecclesia vocabulo insignita, nostræ mentis aciem convertentes, ac attendentes, quod dicta Ecclesia, in qua Ordo Sancti Augustini ab antiquo fuerat institutus, ex eo maxime, quod Canonice Regulares ejusdem Ecclesie vivebant enormiter, & impotentes erant ad lura ipsius Ecclesie defendenda, patiebatur non modicam in spiritualibus, ac in suis bonis & iuribus læsionem; nec per alios, quam seculares Clericos poterat eadem Ecclesia salubriter reformari; cum propter Religionis nexum, cujus observantia recipiendos in dicta Ecclesia se adstringere oportebat, Viri potentes, idonei, & literati ad defensionem ipsorum honorum & iurium, qui in Ecclesia ipsa vellet institui, non poterant inveniri; firmiterque ac indubitanter credentes, quod si ex providentiæ nostræ præsidio ad seculares Clericos transferatur; exinde honor proveniet ipsi Ecclesie ac profectus: Horum consideratione ducti, post deliberationem super hoc cum Fratribus nostris præhabita diligentem, de ipsorum fratrum consilio providimus, & fore decrevimus dictam Ecclesiam de hujusmodi solummodo secularibus Clericis perpetuo ordinandum, ac amotis exinde Canonice Regularibus in eadem Ecclesia manentibus, quindecim electas & idoneas Personas, per quarum probitatem industriam, & potentiam eadem Ecclesia salubriter poterit in spiritualibus & temporalibus gubernari, & in prædictis bonis & iuribus manuteneri utiliter, & defendi, auctoritate Apostolica institimus in ipsa Ecclesia in Canonicos & in fratres. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ institutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire si quis autem &c.

Causæ submovendi ab hac Ecclesia Regulares.

Quindecim Canonice Sculares in eadē institutione.

re, vel ei ausu temerario contraire si quis autem &c.

Datum Trebis tertio Nonas septembris, Pontificatus Nostri Anno V.

Datum die 3. Sept. 1298. P. An. V.

X V.

Institutio Sanctissimi Jubilæi, plenariæ; peccatorum remissionis, pro quolibet centesimo anno, Basilicas SS. Petri, & Pauli Apostolorum de Urbe visitantibus.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, &c.

Antiquorum habet fide relatio, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe, concessa sunt magnæ remissiones, & indulgentiæ peccatorum.

Visitantibus Ecclesiam S. Petri Romæ Indulgentiæ.

Tenantur a Bonifacio.

§. 1. Nos igitur qui juxta officii nostri debitum salutem appetimus, & procuramus libentius singulorum, hujusmodi remissiones & indulgentias omnes & singulas, ratas & gratas habentes, ipsas auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, & etiam innovamus, & præsentis scripti patrocinio communitimus.

Pro quolibet centesimo Anno Jubilæum institutum.

§. 2. Ut autem Beatissimi Petrus & Paulus Apostoli, eo amplius honorentur, quo eorum Basilicæ de Urbe devotius fuerint a fidelibus frequentatæ, & fideles ipsi spiritualium largitione munerum, ex hujusmodi frequentatione magis senserint se referatos, Nos de omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem Apostolorum ejus meritis & auctoritate confisi, de fratrum nostrorum consilio, & Apostolica plenitudine potestatis, omnibus in præsentis anno millesimo trecentesimo, a festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi præterito proxime inchoato, & in quolibet anno centesimo secuturo, ad Basilicas ipsas accedentibus reverenter, vere poenitentibus & confessis, vel qui vere poenitebunt, & confitebuntur, in hujusmodi præsentis, & quolibet centesimo secuturo annis, non solum plenam & largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedemus & concedimus veniam peccatorum.

Quævis Apostolorum visitanda Basilicæ.

§. 3. Statuentes, ut qui voluerint hujusmodi indulgentiæ a nobis concessæ fieri participes, si fuerint Romani, ad minus triginta diebus, seu interpolatis, & saltem semel in die, si vero peregrini fuerint, aut forenses, simili modo diebus quindecim, ad Basilicas easdem accedant. Unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, 8. Kal. Martii, Pont. nostri Anno VI.

Dat. die 28. Febr. 1300. P. An. VI.

Et c.

XVI.

Erectio Studii generalis in Civitate Firmana, Provinciæ Marchiæ Status Ecclesiastici, cum privilegiis, gratis & indultis Studii Bononiensis.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN supremæ dignitatis Apostolicæ specula superni dispensatione consilii licet immeriti constituti, ad universas fidelium regiones nobis creditas eorumque profectus, & commoda tamquam universalis gregis dominici pastor, commissa nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, intendentes, fidelibus ipsis ad quærendum literarum studia, per quæ divini nominis suæ fidei Catholicæ cultus protenditur, justitia colitur, tam publica quam privata res geritur utiliter, omnibusque prosperitas humanæ conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, & opportuna commoditatis auxilia liberaliter impertimur.

Firmanorum preces.

§. 1. Cum itaque nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis nostræ Firmanæ Provinciæ Marchiæ Anconitanæ propositum fuerit coram nobis, quod ipsi non solum ad utilitatem & prosperitatem hujusmodi reipublicæ ac incolarum, Castorum, & Terrarum eis subiectarum, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendentes, in Civitate Firmana, tamquam in insigniori loco & magis ad hoc commodo & idoneo, cuique aëris viget temperies, victualium ubertas, ceterarumque rerum ad humanum usum pertinentium copia reperitur, desideret plurimum, fieri & ordinari per Sedem Apostolicam Studium generale, in quolibet licita facultate, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, aequitas servetur, iudicii vigeat ratio, illuminentur mentes, & intellectus hominum illustrentur.

§. 2. Nos præmissa, & etiam eximiam fidei & devotionis constantiam, quam ipsi homines, & Communitas ad Nos & Sanctam Romanam Ecclesiam, fidemque catholicam gerere dignoscuntur, attente considerantes, ferventi desiderio inducimur, quod Civitas ipsa scientiarum ornatur muneribus, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dignitatibus eruditos, de quorum plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis. Is igitur omnibus, & præsertim idoneitate dictæ Civitatis, quæ ad multiplicanda sane doctrinæ semina, & germina salutaria producendum magis congrua & accommodata inter alias Civitates, terras, loca & oppida dictæ Provinciæ fore dicitur, diligenti examinatione pensatis, non solum ad ipsius Civitatis, sed etiam regionum circumjacentium incolarum commodum & profectum, paternis affectibus anhelantes, prædictorum Communitatis & hominum in hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem

divini nominis, & fidei propagationem orthodoxæ, auctoritate Apostolica statuimus, & etiam ordinamus, ut in eadem Civitate de cetero sit Studium generale, ad instar Studii Bononiensis, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat, tam in Theologia, Jure Canonico, ac Civili, & Artibus, quam alia qualibet licita facultate. Quodque legentes, & studentes ibidem, omnibus privilegiis, libertatibus & immunitatibus concessis magistris in Theologia & Doctoribus legentibus, & studentibus commorantibus in Studio Bononiensi, gaudeant, & utantur.

Erigitur studium est privilegium ad instar studii Bononiensis.

§. 3. At quod ille quo processu temporis bravium meruerunt, in illa facultate, in qua studuerunt obtinere, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac magisterii seu doctoratus honorem petierint elargiri, per Magistrum, seu Magistros vel Doctores illius facultatis, in qua examinatio fuerit faciendâ, Venerabili fratri nostro Episcopo Firmano pro tempore existenti, vel ejus sufficienti & idoneo Vicario, quem ad hoc idem Episcopus duxerit deputandum; Ecclesia vero Firmana vacante, illi, qui ad hoc per dilectos filios Capitulum ipsius Ecclesie Firmanæ deputatus extiterit, præsententur. Idemque Episcopus aut deputatus, ut præfertur Magistris & Doctoribus in eadem facultate actu ibi legentibus convocatis, illos in iis, quæ circa promovendos ad magisterii, seu doctoratus honorem requiruntur, juxta modum & consuetudinem, quæ super talibus in generalibus Studiis observantur, examinare studeat diligenter, eisque si ad hoc sufficientes & idonei reperti fuerint, hujusmodi licentiam tribuat, & magisterii & doctoratus honorem conferat, & etiam largiatur.

Magisteris, & laurea conferenda per Episcopum.

§. 4. Illi vero, qui in eodem Studio dictæ Civitatis examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam, & honorem hujusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine & approbatione alia, legendi & docendi tam in prædicto ipsius Civitatis, quam in singulis aliis generalibus Studiis, in quibus voluerint legere & docere, statutis & consuetudinibus quibuscumque contrariis, Apostolica auctoritate, vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, plenam & liberam habeant facultatem. Nulli ergo &c.

Laurearum Privilegia.

Datum Romæ apud S. Petrum, 17. Kal. Febr. Pont. nostri anno IX.

Dat. die 16. Januarii 1303. P. An. IX.

Pu-

In Regest. in
Archiv. Sic.

Publicatio Processuum contra offendentes venientes, & recedentes ab Urbe.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei Memoriam.

Excommunicamus & Anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, vel recedentes ab ea, capiunt, spoliunt, vel detinere presumunt, aut impedimentum aliquid exhibent, quominus ad eandem Sedem libere cum Personis, bonis, & rebus suis veniant, & recedant ab eadem; etiam si Imperiali aut Regali fulgeant Dignitate, seu cujuscumque alterius fuerint preeminentie, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status. Non obstantibus quibuscumque Privilegiis & indulgentiis, eis vel eorum alicui vel aliquibus ab Apostolica Sede sub quavis forma vel tenore concessis, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint; quae profus tollimus & revocamus omnino ad hoc, quod contra hujusmodi nostram sententiam & processum per ea nequeant se tueri, quo minus includantur in eis. Declaramus insuper, omnes predictos, & alios, qui per se vel suos officiales seu Ministros aut alios, Incolis Imperii, Regnorum, seu Terrarum suarum, vel transsemitibus per ea, undecumque oriundis, ad Sedem venientibus memoratam, vel redeuntibus ab eadem, equitaturas limitant, vel subtrahunt, quae deferunt, seu reportant pro suis opportunitatibus, vel expensis, vel quasvis alias res & bona; aut aperiunt literas, vel auferunt seu taxant numerum Personarum, vel familiarium, seu quantitates expensarum, aut electionum, vel alias directe vel indirecte talibus venientibus, vel redeuntibus impedimentum vel obstaculum praestare presumunt Impeditores fore ad dictam Sedem venientium, & redeuntium ab eadem; & Anathematis & excommunicationis sententiam incurrere supradictam; Ipsosque sic ligatos a Sacramentorum perceptione nunciamus exclusos; districte precipientes, ut nullus ea ipsis ministrare presumat, nec etiam Sacramentum Poenitentiae, nisi in mortis articulo constitutus; sed nec tunc, nisi de stando mandatis Ecclesiae satisfactione vel sufficienti cautione praemissis; Eos vero cujuscumque fuerint praeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Archiepiscopali, vel Episcopali dignitate praesulgeant, qui contra hujusmodi nostrum praecceptum talibus, vel eorum alicui, Sacramenta, vel Sacramentum aliquid praesumpserint ministrare, Excommunicationis & Anathematis sententia innodamus, eisque interdicimus praedicationis, sessionis, administrationis Sacramentorum, & audiendi Confessiones Officium. Praedicientes aperte impediuntibus & contemptoribus supradictis, Nos gravius contra eos spiritualiter & temporaliter, prout expedire viderimus, processuros. Ut autem hujusmodi noster Processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive mem-

Poenae prout
in Rubrica.

Poenae simili-
ter contra Sa-
ceramenta eis
ministrantes.

Publicatio
hujusce Pro-
cessus.

branas, Processum continentes eundem; in praesentis Lateranensis Basilicae appendi vel affigi ostiis seu super liminaribus faciemus, quae Processum ipsum suo quasi novo praconio & patulo judicio publicabunt; Ita quod ii, quos Processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem pretendere, quod ad eos talis Processus non pervenerit, vel quod ignoverint eundem; cum non sit verisimile, remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Laterani Die Coenae Domini, Pontificatus Nostri Anno IX.

Confirmatio Electionis Alberti Regi Romanorum in Imperatorem electi.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei, Charissimo in Christo Filio Alberto Regi Romanorum Illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Ad perpetuam rei memoriam.

Patris Aeterni Filii Dominus Jesus Christus, cujus licet immeriti vices in terris gerimus, misericordia benignitatem exereens, ut in ejus beneplacitis seramus jugum Apostolicae servitutis, viam nos humilitatis edocuit, nosque suorum doctrinis mandatorum instruxit, ut ipsius vestigia, qui patiens & humilis est atque misericors, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Nos itaque ipsius exemplo dirigi cupientes, quos ad Nos fiducia devota reducit, libenter brachiis paternae benignitatis amplectimur, illisque sinum mansuetudinis & misericordiae non negamus, dum eis praesertim devotionis & humilitatis instantia suffragatur.

§. 1. Profecto dum fidem & devotionem divae memoriae Rodulphi Regis Romanorum Patris tui, quibus ipse, dum viveret, erga Sedem Apostolicam studuit cum sinceritate vigere, ad memoriam nostrae considerationis adducimus, dum clara & provida magnificentiae tuae studia, per quae diebus istis gratificari Deo, & ipsi Sedi cum summae devotionis & humilitatis promptitudine decrevisti, diligentius intuemur; suggerit nobis horum fervens instantia, ut erga Te mansuetudinem & misericordiam exercentes, statui tuo salubriter ad laudem Divini Nominis, honorem & exaltationem Sanctae Matris Ecclesiae, Saeculaeque Imperii, ac tranquillitatem & pacem fidelium, auctore Domino, consulamus.

§. 2. Dudum siquidem clare memoriae Rodulphi Rege Romanorum de hac luce substracto, & per ejus obitum Romano Regno vacante, Principes Ecclesiastici, & saeculares, ad quos translato olim Romano Imperio de Graecis per Sedem Apostolicam in persona Magnifici Caroli in Germanos, futuri Romanorum Regis in Imperatorem postmodum promovendi electio pertinet, Te in Romanorum Regem unanimiter, & concorditer elegerunt: Tuque, hujus-

Ibidem.

Proemium.

Alberti erga
Apost. Sedem
merita.

Albertus legi-
time in Impe-
ratorem ele-
ctus.

Et Albertus
postulatus in-
dico ob ce-
sam Abol-
phum miseri-
cordiam im-
ploravit.

Idem Eccl-
e oblixi-
eque Privi-
legia confir-
mavit.

Mansuetudi-
nis illi Boni-
facio monita-
das, & exem-
pla.

hujusmodi electioni de Te facte consentiens, fuisti more Romanorum Regum apud Aquigranum, in Romanorum Regem postmodum coronatus: & deinde fere per quinquennium, exercuisti administrationem regiam: sicut Praedecessores tui legitime ac concorditer in Romanorum Reges electi exercere solent habentus, postquam apud dictum locum Aquigrani, ubi hoc fieri consuevit, coronati fuerunt.

§. 3. Verum, cum medio tempore nonnulla contra Te super iis ad nostram audientiam deducta fuissent, certis a Nobis adversus Te processibus propterea subsecutus; Tu devoti & prudentis more Filii de solita Patris benigne confidens, super iis non Judicium, sed misericordiam humiliter implorasti; nihilominus offerens Te paratum tuam, prout posses, super eis offensuram innocentiam, & alias nostrae & dictae Sedis beneplacita, & mandata facturum: Praestitisti quoque Nobis & Sedi fidelitatis, & obedientiae juramentum, & nonnulla etiam alia promissisti, & juramento firmasti, quae tam a praedicto Patre tuo, quam a Praedecessoribus ejus Romanorum Regibus jurata, promissa, facta, recognita, & concessa fuerunt; sicut haec & alia in duobus patentibus Literis tuo Sigillo signatis, quae in ipsius Archivo conservantur Ecclesiae, plenius continentur.

§. 4. Cumque vicem geramus illius, qui, sedens ut Rex circumdante exercitu, est merentium consolator, & omnipotentiam, suam parcendo & miserando maxime manifestat, devotione ac humilitate tua gratanter inspecta, viam mansuetudinis, misericordiae, ac dulcedinis erga Te potius elegimus, quam rigoris, ut apud Nos & Ecclesiam memoratam obedientiam humilis Tibi proficit, sicut obesse debent contemptoribus inobedientia & contemptus. Et quia levantes in circuitu oculos nostros, & Romanorum Regnum & Imperium intuentes, invenimus in ipsis gentem peccatricem, populos graves iniquitate, semen nequam, filios sceleratos, qui deliquerunt in Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, & alienati sunt retrorsum, & in eis omne caput languidum, & omne cor marens; ita quod a planta pedis usque ad verticem, quasi non est sanitas in eisdem: quorumque vultus & plaga tumens non est circumligata medicamine, nec fota oleo Samaritani illius, qui homini descendenti de Jerusalem in Jerico, vulneribus sauciato, ut proximus verus subvenit, plagis ejus vinum & oleum misericorditer infundendo, vestigia imitantes decrevimus, tecum misericorditer agere, severitatem superando rigoris: ut Tu, memor tam grandis novae nostrae miserationis acceptae, tuorum discas vulnera subsecutorum, & plagas per mansuetudinem olei, & vini acrimoniam restaurare. Modum namque sequi providimus in hac parte, per quem Tu, approbatus a Nobis, ac nostro & ejusdem Ecclesiae fultus auxilio & favore, super Reges constituaris, & Regna, ut evellas, & destruas, dissipas, & disperdas, aedifices, & plantes; ac sedens in solio Judicii tuo intuitu profuges omne malam: accepta secundum Apostolum ad vindictam.

Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

stam malefactorum, laudemque bonorum gladii potestate.

§. 5. Ad gloriam igitur Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & Beatae ac gloriosae semper Virginis Mariae, Beatorum quoque Apostolorum Petri, & Pauli & ad honorem & exaltationem Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Imperii praedictorum, & prosperum statum Mundi, de Fratrum Nostrorum consilio, praesente quoque Praelatorum, & aliorum copiosa multitudine Curialium, autoritate apostolica, & de apostolica plenitudine potestatis, Te in specialem Filium Nostrum recipimus & Ecclesiae memoratae; ac in Regem Romanorum assumimus, in Imperatorem auctore Domino promovendum: Volentes & statuantes, ut de cetero talis Filius Rexque Romanorum existas, in Imperatorem, ut praemittitur, promovendus, & quod pro tali ab aliis habearis: Tibique, sicut Romanorum Regi electo legitime, & Aquigrani coronato obediri debere ab omnibus & singulis Sacro Romano subiectis Imperio, sicut pareri solet & debet Praedecessoribus tuis Romanorum Regibus legitime intransitibus, & a praefata Sede haecenus approbatis.

§. 6. Supplentes omnem defectum, si quis aut ratione formae, aut ratione tuae vel tuorum Electorum personarum, seu ex quavis alia ratione, vel causa, sive quocumque modo, in hujusmodi tua electione, coronatione, ac administratione fuisse nocatur. Omnia insuper & singula per Te, vel alios de mandato tuo, facta & habita in administratione praedicta, quae alias justa & licita extitissent, ita valere decernimus, & tenere, sicut si administratio ipsa Tibi competuisse legitime nosceretur. (a)

§. 7. Excellentiam itaque Regiam moneamus, rogamus, & hortamur attente, ac obsecramus in Filio Dei Patris, quatenus ad ipsum Deum, & praefatam Ecclesiam Matrem tuam mentem & oculos tuos dirigens reverenter, ac benignitatem nostram, disteque Matris, qua praeventus agnosceris, devota meditatione considerans, illamque conscribens in Sacratio tui pectoris, inibi sub recognitione debita perpetuo permanfuram, sicut Christianissimus Catholicusque Princeps fide praeclearus, claritate fervens, devotione sincerus, & Judicio rectus, eandem Ecclesiam, & libertatem ecclesiasticam ubilibet summo studio totisque viribus revereri & colere studeas, ac tueri; & grata & grandia ipsi Ecclesiae pro gratis & grandibus impensis Tibi muneribus recompenfes. Populos quoque in equitate judices, & dirigas in Terris Tibi subiectis gentium Nationes ad bonum; ac alias commissa Tibi Regni & Imperii gubernacula congruis temporibus sic laudabiliter & utiliter exequaris, quod aeternae vitae praemium, illius Tibi

N dex-

(a) Aliis literis die eadem datis, quae leguntur apud Brzivium, Bonifacius omnes uniones, confederationes, societates & praedicationes cum quibuscumque Regibus, aut Principibus, in praedictum Romanam Sedem, & Imperium ab eodem Alberto factas, etiamque juramento firmatas, irritavit, nullas dixit, & quaecumque juramenta quibuscumque verbis concepta relaxavit.

Eius in Roma-
norum ele-
ctionem ap-
probat.

Qui intercef-
serant in ele-
ctione ead-
dem defectus, sup-
plet.

Eum ad grata
erga Eccle-
siam explic-
anda officia
ac Imperium
Recte, a mag-
nistrandum
hortatur.